

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

CXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

tionibus aliis, damnatis inesse audacter inficiatur. Cui rei fidei facient ea, quæ sub initium hujus discursus ex scriptis Theologorum Lutheranorum in medium produximus.

CXXVI. Longum iter hastenus emensi sumus, circa controversiam multorum opinione sterilem nimis diu & prolixè occupati. Fatemur verò, præter opinionem excrevisse meditationes nostras. Causa est, quod adversus Scholasticos & Rob. Parkerum, datâ operâ disputare animus fuerat, quorum illi actualia damnatorum peccata, præeunte Magistro, hic verò habituale etiam, duce Hug. Sanfordo, iis usi argumentis, in dubium vocant, quorum consideratio partim multis fidei articulis insigne lumen affundit, partim, ad quos tetros errores principia Romanæ & Reformatae Ecclesiæ, earundem sectatores præcipites agant, quasi ad oculum ostendit. Vertitur enim v. g. hic universus de peccato cum actuali tum originali articulus; quid propriè peccatum sit & constituat? An omnis inordinatus & contra legem tendens motus peccati rationem habeat? Utrum omne peccatum necessariò sit voluntarium? Unde peccatum, tanquam ex fonte & causa promanet? An peccatum sine peculiari gratiâ deponi possit? Utrum omne peccatum suâ naturâ mereatur mortem & damnationem æternam, ubicunque etiam locorum committatur? Quæ singula, & alia plura dum in hoc argumento rectè perpendendo excuti necesse est, quantopere extenuetur per hypothèses Scholasticas & Pontificias peccati, inprimis habitualis, natura, & quâ ratione peccandi necessitas, ipsi naturæ in puris, ut vocant, naturalibus, concreata, in DEUM creatorem, quod nefandum dictum est, refundatur, & quod denique pro diversâ status locique conditione id, quod hodie abominandum oculis Divinis flagitium est, peccati indolem exuere & amittere omnem possit reatum, sole, dum in meridie lucet, clarius simul innotescit. Necesse igitur fuerat, ut hi tanti errores non obiter, sed studiosè refellerentur, veritas verò cœlestis, quam labefactari nefas est, in apricum produceretur.

CXXVII. Præterea de verâ ratione boni malique, an utrumque ad voluntatem DEI, tanquam ultimam & fundamentalem normam, an verò ad ipsam sanctissimæ & optimæ in sese naturæ